

Hantsch-  
mann

1601

H. Sax. C  
769



DIVORVM  
**AVGVSTI**  
**ROMANORVM IMP**  
PERATORIS  
**ET**  
**AVGVSTI**  
**ROMANORVM IMPE**  
RATORIS CREANDI VIIVIRI.  
Parallelus I. Genus, Nomen, ac Indolem Vtri-  
usq; Herois Carmine Heroico recensens.  
ILLVSTRISSIMO SAXONIÆ DVCI  
**CHRISTIANO II.**  
**SEPTEMVIRATVM ET FASCES**  
PROVINCIARVM HEREDITARI,  
arum capessenti.

*Felicissimæ appreicationis ergò humiliter  
consecratus ab*

Vrbano Hantschmanno D. & P. C.



Anno Salutis.  
Se **D** LIBERA nos á **MaLo.** 1601


Hantschmann  
v



1601

AD ILLVSTRISSIM VM  
SAXONIÆ DVCEM AC ELECTO-  
REM CHRISTIANVM II.

PRÆFATIV NCVLA.



Lienum ab instituto meo  
fortassis cuiquam videri possit,  
Illustrissime Elector C H R I S-  
TIANE, Domine clementissi-  
me, quod T. C. de completo iam ad  
IX. cal. Octob. per Dei gratiam an-  
no ætati <sup>anno decimo, adeptusq; Sep-</sup>  
<sup>tem vii.</sup> Provinciarum here-  
ditariarum fascibus, subiectis, autimi obseruantia gratula-  
turus, exiguumq; voluntati & promptissimæ erga T. C.  
specimen editurus, collationem Octavij Augusti Romani Cæ-  
sar, cum Augusto Saxoniæ Electore Auo C.T. laudatissimæ  
memoriae, instituam. Quid enim hoc ad propositum, dicat alio  
quis? Verum ad materiæ huius tractationem causam me non  
omnino levem impulisse, ex sequentibus forsitan poterit intelligi.  
Extra controversiam esse arbitror, inter Cæsares Romanos  
Octavium Augustum longè felicissimum semper fuisse repu-  
tatum, cum ob veram Salutem, Luciferumq; ex alto, qui sub hu-  
iis Cæsaris sceptris tenebricoso mundo illuxit: tum ob ejusdem  
imperij amplitudinem, vitæ longævitatem, pacisq; studium,  
quod partis feliciter contra hostes victorijs, per totum fermè ter-  
rarum orbem ad mortem usq; exercuit. Huic etiam peritorum  
calculo subscribi existimo, inter Græcos quidem Imperatores

A

ae

ac Duces, qui cum Augusto Cæsare Romano possent conferri, Plutarchum reperisse neminem: Verum nostræ ætatis homines prudentes & doctos cum Cæsare Augusto nostrum Saxoniæ Ducem ac Electorem Augustum comparare non erubuisse: Quæ sane eximia laus ad T. C. tanquam hereditaria omnijure spectat, calcareq; Virtutis, & rerum in novo regimine præclarè gerendarum, animo Illustrissimi Principis ad omnia nato addit. Causam præsentis materiæ adhuc unam, priori si non superiorem, parem tamen habeo. Natus est Augustus Cæsar teste Suetonio & Gellio, IX. cal. Octob. vel quod idem est, 23. die mensis Septemb. ante solis exortum, quem diem, diei horam, tempusq; heliacum & antelucanum C. T. nativitati sacrum quoq; fuisse cognovimus. Quis autem sine peculiari omniæ ac fato, felicis tranquillæ diuturnæq; gubernationis, illud contigisse existimaverit? Quis Augusti quoq; Cæsaris dixerit in C. T. die natalicio ineptè mentionem fieri? Quare, Illustrissime Princeps & Elector, hoc quicquid est exiguae animi mei significationis erga C. T. suscipe, Tuq; potenti patrocinio nostram humilem & torpentem Musam protegere non dignare: Sic enim ad plura & maiora, Domino benedicente, vires intendere alliciemur.

CHRISTVS IESVS Illustriss. T. C. ad Sui Ipsius gloriam, subditorumq; utilitatem, animi corporis fortunæq; bonis cumulate florentem & affluentem, diutissimè conservet, ab omnq; malo clementer protegat ac tueatur. Dab. Dresdæ, ipso IX. cal. Octob. Anno Sal. 1601.

Illustriss. T. C.

Devotiss. servitor

Urbanus Hantschman.

DIVORVM  
**AVGVSTI ROMA-**  
 NORVM IMPERATORIS ET  
 AVGUSTI CREANDI ROM.  
 Imperatoris Septemviri.

**PARALLELVS I.**

**A**VGVSTI gemini Proceres, é gente Latina  
 Vnus stemma trahens, alter sed origine Teuto;  
 Ambo quibus Proavis, & qua sint indole nati,  
 Et quibus auspicijs Divum par nomen adepti,  
 Augusti augustæ quæ visq; sit indita voci;  
 Materies gravioris erunt mihi Carminis : alma  
 Mundi, Christe, salus, & fulcrum labe ruentis,  
 Sancta tua Augusticunabula subdere sceptris  
 Dignate, huc rector dignare accedere, nostro  
 Materiam aspirans nexumq; in carmine: nosti  
 Omnia tu solus, vidistiq; omnia solus;  
 Ad nos vix tenuis gestorum fama relata est.  
 Tu quoq; de Christo, Dux, nomen amabile gestans,  
 Teutonis Augustiq; Nepos; hæc nostra serena  
 Carmina mente lege, hancq; tuam ne despice laudem.

Gens antiqua fuit, Volscis Octavia terris,  
 Dives opum, belliq; potens, belliq; trophæis;  
 Quippe Veliternæ vicus primarius vrbis

A 3

Inde

Inde vocabatur; tum quidam Octavius atra  
 Insignitus erat, magno quod robore furtim  
 Irrumpentem hostem sacra Martia fuderat inter,  
 Atq; ea Romanis prisco stirps fœdere juncta,  
 Patricioq; nitens habitu Russum edidit olim,  
 Ex hac qui candens primus Quæstoris obivit  
 Gente decus, populi assensu, bifidamq; reliquit  
 Progeniem sobole ex gemina, quarum altera semper  
 Emissuit, summos & semper cœpit honores:  
 Inferiore gradu, vel sponte, vel altera fato  
 Constitit, Avgvsti donec gravis ære q; & vſu,  
 Thracibus & Bessis Genitor bellando subactis  
 Fortiter, est justi Prætoris munere functus.  
 Sit tamen Avgvsti proavum quis auumue requirit:  
 Hic auro gravidus, pacato tempore claris  
 Præfuit officijs placidè: sed enim ille tribunus  
 Militiæ, Siculis Pænos compressit in arvis.

Ex his Avgvstvm proavis dedit Accia partu,  
 Accia quam Balbus Prætor, propioreq; magnum  
 Pompeium vinclo attingens ex matre, sorore  
 Cæsar is, à primo duxit qui nomen Iulo,  
 (O priscam gentem!) Latijs generavit in oris.  
 Se ferre è veteri laudatae semine stirpis  
 Semper honorificum sanè, & fuit vtile semper.  
 Nam velut in liquidis quædam bonitate metallis  
 Exuperant alia, in plantis qua semen ab herba,  
 Et qua decerptus sit surculus arbore refert,  
 Naturasq; patrum catuli pulliq; retractant:  
 Haud aliter facies hominis plæruntq; parentum

Ora

Ora refert: animus specimen virtutis avitæ,  
 Quandoquidem dictat ratio, quod corporis ipsam  
 Temperiem motus animorum pone sequantur,  
 Semina temperies patrum, diversaq; manent  
 Semina diverso membris animoq; parente.  
 Quin & in alto animo proavorum facta suorum  
 Instar præceptoris habent, & ad ardua raptant,  
 Nec mora, prognatae sequitur comes indolis ardor.  
 Talibus ut stimulis AVGVSTI Cæsaris acta  
 Mens fuit ad magnas magna res laude gerendas:  
 Sic neq; multa Duci maiorum prævia virtus  
 Defuit AVGVSTO, veterum qui semine celso  
 Saxonæ patria descendit origine Regum.  
 Hæc illa hæc domus est, qua vix antiquior oris  
 Teutoniæ floret, qua non generosior oris  
 Teutoniæ floret, qua nulla celebrior oris  
 Teutoniæ floret, qua bello haud fortior oris  
 Teutoniæ splendet, qua pacis amantior oris  
 Teutoniæ haud splendet, qua relligiosior vnquam  
 Stirps neq; Teutoniæ, reliquis neq; fulsit in oris.  
 Cætera mitto lubens, illud non mittere possum,  
 Rex Vvitikindus huic fuerit quod sanguinis auctor,  
 Rex atavis, opibusq; potens, & corpore, & armis,  
 Et de se dictæ Vvitebergæ conditor Vrbis.  
 Is Vvernekino pacis fautore creatus,  
 Hos generosorum proauos numeravit avorum:  
 Diticum luctu confectum: Henetæq; phalangis  
 Sighardum debellatorem: acieq; cadentem  
 Bertholdum: Bodicum: & Regis mucrone Britanni

Macta-

Ma<sup>c</sup>tatum Huldricum : fessus cui grandibus annis  
 Hattu vigattus erat pater: huic Odoacer opimus  
 Normanni vastator agri, domitorq; Alemannum:  
 Iste sed Hengisto est Regum tot patre profectus,  
 Qui, pulsis veteri pigris è sede Britannis,  
 Angliæ eam propria à patria, Nataue sagaci  
 Nomine signavit: Vvitgesfilloq; parente:  
 Et gavisus avo Vvitta est: proavoq; quieto  
 Vvichto, qui posuit mores & mænia genti:  
 At Vvichtum Bodo, è cujus tot stipite Reges  
 Diffusos perhibent, genuit: canisq; capillis  
 Asportans gravidam gemmis auroq; coronam  
 Bodoni pater est Marbodus: hic & genitore  
 Per Latium celebri, gelidasq; per Albidos vrbes  
 Vvilkino puer ætherias est natus in auras:  
 Vvilkinus verò Vvitikind<sup>o</sup> Rege: frementum  
 Fulmine Gothorum Daniæ quem Iura daturus,  
 (Æmulus exceptum Haldanus nisi cæde tulisset  
 In medio talmi festo) generaverat olim  
 Siffridus: cui Schvvertingus pater: atq; avus alter  
 Schvvertingus fuit: at proavus Vvilkinus, ovanti  
 Herminio æquævus: patris Ansonarichus aviq;  
 Cæforum huic atavus vindex: abauusq; supremus  
 Artharius, Gothum fregit qui milite Regem,  
 Et nati in terris præcessit secula C H R I S T I.

O longam seriem proavorum! quos tamen omnes  
 Longa dies fragili jam pridem exemerit ævo  
 Cum factis, fatisq; suis; nisi docta virum vis,  
 Ex cæco lapsi jam temporis eruta claustro,

Hæc

Hæc incidisset vivacibus omnia libris.  
 Quod vos per laudes atavum, vestramq;, nepotumq;  
 Oro Duces, sacros vates, & digna bonorum  
 Omni conservate modo monumenta virorum,  
 In quo tempus edax juris nihil obtinet vñquam.

Nunc Vvitikindigenas etiam memorabo nepotes.  
 Iam senior Vvitikindus erat, cùm Suatana partu  
 Nominis ejusdem natum, comitemq; Vvethini,  
 Edidit: is post se Titgreimum liquit: hic inde  
 Dietmarum: & hic rursus Dietricum: ex coniuge cuius  
 Natus Dedo: sui patris mox nomina rursum  
 Impressit soboli: quæ pòst Thimona: Timoq;  
 Cunradum genuit: genuit Cunradus Othonem:  
 Dietricum sed Otho: pòst illi Heinricus: & vñus  
 longa hac serie (rare & memorabile dictu)  
 Legener Albertus cæli venere sub axem:  
 Hinc quini sese Friderici quisq; tulerunt  
 Patre suo, Fortisq;: Gravisq;: & Strenuus heros:  
 Tùm splendentem auro primus qui prætulit ensem  
 Cæsaribus: tùm qui Placidus cognomine fertur.

Hic pater est, duplices vbi se stirps findit in ortus:  
 Nam prior Ernestus, gemina cum prole virili,  
 Cumq; nepotum vno, tulit Electoris honores:  
 At minor Albertus fuit annis, non minor aulis,  
 Vtpotè quem dextram Imperij Papa, Belga Rolandū  
 Appellavere, & Regem optavere Bohemi.  
 Protinus Albertum quantum Mars extulit armis:  
 Tantus pace fuit soboles Henricus: & idem  
 Edidit Heroas binos, quos dogmate postquam

B

Excoluit



Excoluit C H R I S T I , & zelo pietatis vtrosque;  
 Mox illorum vnum, qui se victricibus armis,  
 Et iam tūm natu maior Mavorte ferebat  
 Nomine, Bellatoris avi forti imbuit arte:  
 Artes sed pacis proprias, & pacis amorem  
 Indidit A V G U S T O , sic tempora poscere cernens.  
 Salvete, ô gemini fratres, concordia quondam  
 Pectora, dum terris sublimi mole stetistis:  
 Nunc quoq; concordes animæ in cælestibus oris,  
 Quas neq; Pollucis, fidi neq; Castoris astrum  
 Vincit luce sua ; cuius de sanguine matris  
 Artus traxistis? Quæ vos sub pectore fovit,  
 Vberibusq; aluit, blandis & gessit in vlnis?  
 Nimirum C A T H A R I N A fuit, quam nomine Magnus  
 Princeps ex Heneta prognatus origine Regum,  
 Rostochiæq; ædis fundator misit in auras:  
 Cuius natales si jam percurrere vellem ,  
 Fessus in Hesperias Titan se mergeret vndas.  
 Quadraginta illi proavi longo ordine ducti  
 Vvagrico ab Anthyrio, Magni qui strenuus olim  
 Miles Alexandri, post facta miserrima regis ,  
 Per mare tranavit Venetum stridente carina,  
 Aurato dum prora fuit gryphone superba,  
 Passaq; taurino tumuerunt carbasa vultu,  
 Vultu Bucephali capitis referente figuram.  
 Redditus his iterum terris ad littora jecit  
 Mechelburgiacæ fundamina gentis & vrbis ,  
 Indeq; signa tenent hodiè seri ista nepotes.  
 Et quisquam stirpem maternam, aut stemma paternū  
 Au-

Ausonis AVGVSTI domvi præferret aitæ  
 Saxonis AVGVSTI? dextro magis omne nomen  
 Qui cœpit, qui suscepit virtute probavit.

Ter Cœsar denos cum sex Octavius annos  
 Egerat, & clauso longo post tempore Iano,  
 Pace bona latè populos frenabat & vrbes,  
 Cum plebs omnis, & omnis eques, sanctusq; Senatus  
 Protantis statuit meritis, ut nomen avitum  
 Exuat, & post hæc communi Romulus alter  
 Voce salutetur, cum non levioribus orbem  
 Ornasset meritis, vrbis quam conditor vrbem;  
 Exemplò medios exurgens Plancius inter,  
 Prolixo sermone refert, Octavius Heros  
 Quam superet longè trabeatum laude Quirinum:  
 O Gens fausta minus, quæ vixtī Rege Quirino!  
 O Gens fausta nimis, salvo hoc quæ Cœsare flores!  
 Ipse ignarus erat Rex viriusq; parentis:  
 E celebri noster se fert Octavius ortu.  
 Expositum Picus dapibus, lupa lacte nepotem  
 Nutrijt: In culto penetrali est natus ad auras  
 Cœsar, cui saltem castis, vbi tempora poscunt,  
 Fas inferre pedes, ne quem ferus exigat horror.  
 Romulus enituit formosi robore vultus:  
 It suprà Cœsar quoq; cui nil tale paranti  
 Cernite quam mansueta stet altæ gratia frontis?  
 Sunt astris similes oculi, color albicat oris,  
 Coniunctumq; supercilium, flaviq; capilli,  
 Et decorant habilem conformia membra staturam.  
 Martigena indulxit studijs, male suada perosus

B 2

Otia:

Otia : Apolloniæ primis Octavius annis  
 Flagranti desiderio, affixoq; labore  
 Incubuit libris, nec adhuc sub turbine Martis  
 Absistit, nativa sedet dulcedo labellis,  
 Suadaq; perspicuo sermone, legitq; poëtas  
 Ipse poëta bonus, librorumq; optimus auctor,  
 Vix scriptorem Argiva tenet, vix Itala lingua,  
 Ex quo non vitæ præcepta salubria noscat,  
 Et doctas mirè doctus fovet ipse Catervas.  
 Augurijs, cultuq; Deum rex deditus olim  
 Vestales legit Nymphas, ignemq; sacravit:  
 Cæsar amans Iovis & patriæ, tibi maxime Divum,  
 Pro patriæ magnos statuit moderamine ludos,  
 Nec prius excitos patitur considere patres,  
 Suplice quam Numen venerentur thure, meroq;;  
 Tum devota sibi conflavit in aurea Phæbi  
 Numinæ, & vltori Marti, trifidoq; Tonanti  
 Splendida construxit delubra ; rependite Divi,  
 Vosq; Deæ, quibus educi penetralia jussit,  
 Et Capitolini præses tu maxime clivi,  
 Cui pariter tot gemmas ponderaç; obtulit auri.  
 Cætera prætereo veterum simulacra Deorum,  
 Utq; sacerdotum numerum, redditusq; decusq;  
 Auxerit, & priscos revocaverit vndiq; ritus.  
 Rex erat ille vrbis: caput hic est vrbis & orbis,  
 Deq; tribus pars vna viris, & maximus olim  
 Pontificum, consulq; fuit, plebisq; tribunus.  
 Romulus imposuit septenis collibus urbem,  
 Signatis sulco muris, & parva Quiritum

Semina

Semina suffecit, leges tulit, inde senatum,  
 Selectosq; patres, legionumq; agmina sanxit :  
 Quid verò noster? tractus dispersit in omnes  
 Romanos rerum dominos, ædesq; locatas  
 E latere egregio & splendore é marmore fecit ,  
 Hinc nova constituit loca, prisca refecit, & arctum  
 Expandit Tibrim, tūm salva hæc omnia præstat.  
 Præterea antiqui juris correxit abusus ,  
 Rescidit excessus, membra infinita Senatus  
 Contraxit, numerum Prætorum providus auxit ,  
 Iudicijq; simul, simul intermissa novavit  
 Munia censorum, vestesq; reduxit avitas.  
 Fallor, an & varia quondam de gente coacta  
 Vndiq; colluvies nostra confluxerit vrbe:  
 Non fert id Cæsar, nec in externo orbe vel ortu  
 Servili genitos, civili munere donat.  
 Mirum robur erat, Prudentia mira Quirino ,  
 Imperterrita mens, & bello vivida virtus ;  
 Acrontis raptus vlturi cæde Sabinos  
 Exuviae sensere, Iovi quas voverat ille ,  
 Et cæso primus suspendit ab ilice Rege  
 Victor ovans, id Vejentum sensere cohortes :  
 Cæsaream longè maior sapientia mentem ,  
 Maius numen agit; quia bello victor & ictus  
 It plangens, toto ac molitur pectore pacem .  
 Sitamen ad pugnas, populorum vrgente salute ,  
 Ventum est; Dij quantus truculenta fulminat hasta  
 Bellator! quas fert strages? en civica quinq;  
 Bella, Perusinum, Actiacum, Siculumq;, Philipumq;;

B3

Et

Et Mutinense, & peregrinis plurima terris  
 Edita, quæ gesit vicitribus vndiq; signis,  
 Quæ propter bis humi, ter agens de more triumphos,  
 Quadrijugis in vectus equis est victor in urbem:  
 Non ita, jaetaret quamvis se Romulus esse  
 Marte satum, non evalvit; de duplice saltem  
 Hoste triumphalis duxit primordia pompæ,  
 Et tamen attoniti non infelicibus ausis,  
 Hunc sibi finitimi junxerunt fædere Reges,  
 Et tamen hunc auctorem urbis, stirpisq; propinquæ  
 Conservatorem, Rectorem gentis, & hostis  
 Debellatorem, atq; Deum dixerunt Quirites.  
 Quos etsi cultus, onerosaq; nomina Cæsar  
 Respuat, invito obtrudunt decreta senatus.  
 Illius vestra natalem sponte quotannis  
 Vos equites celebratis adhuc, memoremq; locastis,  
 Vos cives, medico statuam, cum tabe maligna  
 Solvisset dominum, quo sospite facta subitis  
 Promtius: immò urbes etiam vos condere Reges,  
 Quæ de Cæsareo dicantur nomine, cerno,  
 Atticaq; eiusdem genio delubra novare.  
 Omnes nos illi strenamq; stipemq; quotannis  
 Fundimus, hoc præsente ferit præcordia plausus  
 Omnibus, hoc absente dolor præcordia pulsat,  
 At redeunte, tubis testaq; occurrimus oda.  
 Nec tamen in summis his se successibus unquam  
 Extulit, aut post hac Octavius efferet Heros.  
 Tanta animo virtus habitat, moderatio tanta!  
 Iliaden quæ si cœpisset, tegmina nunquam

Prisca

Prisca recinxisset, taliq; phalange superbus  
 Incessisset, & è folio responsa dedisset.  
 Non efferrari animis, flatu spirante secundo,  
 Est maius virtutis opus, quam tempore duro  
 Non animis frangi: Nil sors moderabile suadet.

Quis scit an hæc etiam fuerit veneratio regi  
 Debita? Dij patrij mihi, vosq; ignoscite cives;  
 Cum fratrem, & nutritores, cum matris avunculum  
 Ense trucidârit: quamvis exoluit honorem  
 Rheæ, nec cepit Numitore superstite fasces.  
 Iuliades certè quacunq; ab origine junctos  
 Propugnat, veneratur, amat: cum Cæsar is hæres  
 Scriptus pro pietate foret, mox cædis iniquæ  
 Auctores turmis est bellatricibus vltus.  
 Tùm post vota Deûm, supremos præstat honores  
 Egregijs maiorum vmbbris, quæ Romæ inopes res  
 Tantum evexerunt ad culmen: Qualia cives  
 Nomina pro tantis meritis, quos obsecro cultus  
 Flagitet hæc nulli pietas superabilis vnquam?  
 Plancius hæc: illipendentibus expectantes  
 Auribus astabant, quid tandem nominis ipse  
 Inderet, anne novum & melius? Simul incipit idem:  
 Consecrate Dijs, mundoq; salutifer Heros,  
 Cuius perpetuis florebunt nomina leclis;  
 Tu posthac AVGVSTVS eris, ter maxime Cæsar,  
 Tu posthac AVGVSTVS eris, quia sceptra Quiritum  
 Alite cepisti dextra, quia sceptra Quiritum  
 Alite gessisti dextra, quia sceptra Quiritum  
 Alite servabis dextra, venerabilis euge,

Salve.

Salveheros, ô magne pater, duxq; inclite salve,  
 Perge tuus quo te genius, quo te vehit ingens  
 Virtus, & posthac augustis vtere fatus.  
 Nondum effatus erat, cuncti simul ore fremebant  
 Ausones assensu vnamini, simul omnibus vna  
 Vox Avgste Avgste sonat, ferit æthera plausus.

Atq; ita ,dimidiæ completo tempore vitæ,  
 Avgsti primùm suscepit nomina Cæsar.  
 At Dux Saxo suum mox est in limine vitæ  
 Nactus , & obtinuit fato duce & auspice nomen:  
 Id quo contigerit pacto, mihi vt ipsa reclusit  
 Vranie, Divæ porro sic pace revolvam.

Libera Sudetum nitido vrbs in vertice surgit ,  
 F R I B E R G A , auroram versus, propè flumina Muldae,  
 Qua sapidam generosa Ceres fragrante polentam  
 Sparsit amaricie, sed humum resolubilis imam  
 Pinguibus argenti complet vaga Cynthia venis;  
 Hanc: Saxo construxit Otho, post conscius olim  
 Spectatæ civis fidei sibi fixit in arce  
 Heinricus sedem, & cara cum gente nepotum  
 Venturæ mortisq; memor, vitæq; futuræ,  
 Regale in templo posuit sibi Mausoleum.  
 Hic Albertiades flavæ dum tempore messis  
 In stratis de nocte vigil secum altius ( vt fit ,  
 Cum nihil extra obstat, cum crescat spiritus intus,)  
 Præsentes rerum facies hinc inde volutat:  
 Ut nuper Saxo Sapiens , atq; Ensifer idem,  
 Atq; immortali vitâ dignissimus idem,  
 Expiraverit: eluvies quam rustica stragem

Edide.

Ediderit, quas Cæsar agat, quas Gallia turmas,  
 Qui sit Teutoniæ status, & quo Mysia pacto  
 Pace salutari queat & pietate potiri;  
 Dumq; subit conjunx partus vicina labori,  
 Multa putans, tandem sic labra precantia solvit:  
 O Dux Christe Ducum, quo nî mihi fixa foret spes,  
 Turbine in hoc, cæli tæderet templa tueri;  
 Hoc quoq; da, longis vteri sine nixibus vxor  
 Mittat onus, nobis quod tempestatibus istis  
 Solamen, custosq; tui sit dogmatis olim,  
 Quod Bellona æcta trans Thulen, Gades, & Indos,  
 Parentes hilari Mysos in pace gubernet.  
 Cætera felici crescat quoq; sydere Proles.  
 Hæc & plura senex animo dum versat & ore,  
 Sera quies tandem victis obrepit ocellis.

Et jam Sol iterum terras lustrabat opacas,  
 Inq; coruscanti radiabat lucifer ortu;  
 Ecce Duci in somnisi triplices confidere Divæ  
 Æthere sub dio manifesta luce videntur;  
 Ipse coloratis redimitus tempora sertis  
 Post vmbrosam oleam viridi requiescere luceo,  
 Nectamen ex numero Divarum cernier ulli.  
 Ergo miratur tacitus, tacitusq; tuetur  
 Concilium insuetum; sed enim dum lumine fixo  
 Vnam jam dudum lustrat per inane Dearum,  
 Aurea sceptra manu dextra, leuaq; sedentem  
 Noctis avem, & Chlamydeni perfusam conspicit ostro.  
 Conspicit ardentes oculos, quibus ignea cæli  
 Astra, quibus terræ penetrare per intima posset,

C

Factaq;

Factaq; præteriti, venturi infecta q; secli:  
 Dumq; stupet, fruстрáq; parùm se condere tentat,  
 Illa sub hæc: Divum genus alta à stirpe sorores,  
 Quæ mecum primo nascentis in ordine mundi  
 Nondum etiam factis posuistis nomina rebus,  
 Resuè suis decorare notis docuistis Adamum:  
 Mechelburgensis CATHARINÆ novimus omnes  
 Infantem jam jam vicale in lumen iturum;  
 Ergo laborifero non tantùm quæq; dolori,  
 Qua ratione decet, pro se succurrite mecum:  
 Sed pariter reputate animis, quo luce potitum  
 Nomine designent non deturpante, parentes,  
 Huius & admonitu traducat tempora proles:  
 Non vano augurio signari nomina constat.  
 Id volvens, & venturi non immemor ævi,  
**A**TTALARICI in nomen eat Vvitikindius ille  
**V**vitichii vè puer: quoniam sapientis ad instar  
 Assistens patriæ patris, omnibus affluet olim,  
 Quæ possunt homini in vita contingere gazis:  
 En tantùm thesaurorum sapientia fundit.  
 Tu tamen, ô P I E T A S, quæ me mihi carior ipsâ,  
 Et vel sola tuos cælesti luce beare  
 Cultores preciosa soles, tua sensa reclude.  
**H**æc S O P H I A: at præfata Deûm sic altera cœpit:  
 Quam benè Christiadum duce me per templa receptū  
 Quod simul atq; infans baptismi tingitur vnda, (est,  
 Mox insignitus discedat nomine certo.  
 Tunc namq; ante D E I faciem memorabile primùm  
 Acquirit nomen, flatuq; fideq; renatus:  
Tunc

Tunc verus primūm fit homo, cui gratia Divīm  
 Se pandit, quoties vox illa perambulat aures :  
 Quippe subire animum debet meditatio pacti,  
 Quo Christo insertus, soli se fidere Christo,  
 Pertæsum sathanæ, & carnis, mundiq; maligni,  
 Spospondit, velle & soli se vivere C H R I S T O ,  
 Quare D I E T R I C I titulum me dante capeſſat,  
 Quando ſalutifero puer hic purgabitur anime :  
 Namq; omni conatu, omniq; enixus opum vi,  
 Religionis opus Germanis provehet oris,  
 Plenus corda D E O , patriæq; ſalutis amore,  
 Dum verbi Divini hostes, ſeu turpibus iſti  
 Pigmentis fidei pergant involvere Dogma ;  
 Si venovam glomerent fraudem, & Mysteria verbi  
 Ad cæcæ reſecent ſtupidum rationis acumen ;  
 Sive negent mundo Regem illuxiſſe Salutis,  
 Contundet pietate ſua, longeq; fugabit.  
 Huc illum pietatis amor, generi iſlita fato,  
 Huc utriusq; gravis rapiet doctrina parentis,  
 Maiorūm huc illum ducent exempla ſuorum.  
 Namq; ( fatebor enim ) dum quondam Teutonis oras  
 Fæda ſuperſtitio captos ambage tenebat ;  
 Haud quiſquam proceruim , nec pace vigente, nec ar-  
 Hermen maiori feruore Crodumq; colebat : ( mis,  
 At poſtquam Christum ſemele eſt Vvitikindius heros  
 Amplexus tandem, vix illo ſanctius alter  
 Meſſiam eſt tota cum posteritate professus.  
 Quin hac vſq; tenus dum densæ futileſ omnem  
 Europam atq; Afiam tenebræ implicuēre papatus ;

C2

En

En Germanus homo tetros aperire furores  
 Audet adhuc, rursusq; De i producere verbum,  
 Præsidio Friderice tuo, fratrisq; Iohannis,  
 Et Nati, nomenq; tuum, fratrisq; gerentis,  
 Cuius non temerè auricoma cruce pinximus ortus  
 In tergo : nam martyr Christi est ille futurus.  
 O fortis animi, & constantia pectora! magni  
 O Divi, supraq; homines Virtutibus aucti !  
 In cælo merces vobis æterna paratur.

Saxoniæ reliquos proceres quis tangere vellet,  
 Hoc cum gentis idem maternæ exempla requirant?  
 Ecquis enim heroi decus admirabile facti  
 Mechelburgiaci nescit celebrare Iohannis?  
 Quam prius ad Christum Livones compulit armis,  
 Hunc per bis denos annos Academia fovit  
 Gallica , discentem disceptantemq; sacratæ  
 Dogmata scripturæ, pulchrasq; insigniter artes,  
 Ut quoq; Doctoris titulo decoratus abiret,  
 Nil Fratrum aut Regum risusq; jocosq; moratus.  
 O verè heroum pectus! quis carmine nostrum  
 Hoc satis hoc efferre potest? hūc vertite veltros  
 O proceres vultus, hūc æmula figite corda:  
 Nempe per ingenuas quisquis caput extulit artes,  
 Is demum verè est Heros ; qui quantum homo bruta  
 It supra, tantum mortales eminet inter.  
 Nec sunt Henrici nobis incognita facta,  
 Qui Sarracenis Solymam quod strenuus urbem  
 Eripere enixus fuit, est cognomen adeptus.  
 Quām pius Henricus dux est, quem ficta Papatus

Numina

Numina tollentem, populos in pace regentem,  
 Subdita plebs patriæ jam tūm vocat ore parentem.  
 Nunc decreta etiam fas est si pandere Divum;  
 Alberto nuper fate patre, Alberte Iohannes,  
 Non te Palladis ars, variæq; scientia linguæ  
 Destituent: quiq; Ulricus te pone sequetur  
 Frater, pri h fuerit quam laudatissimus Heros!  
 Hunc Regis generum, sacerum quoq; Regis, avumq;  
 Reginæ & Regis, natæq; ex Rege maritum,  
 Fortunis, opibusq; amplis, animisq; vigentem,  
 Ad patriæ incensum vera pietate, salutem  
 Longa reservabunt in tempora mitia fata,  
 Constituentq; gravem Romani Nestora quondam  
 Imperij, latæq; parabunt commoda pacis.  
 Caniciem Ducis ô vegetam, viridemq; senectam!  
 O fortunatos hoc sospite Principe cives!

Prisca nimis mitto, quæ si versare juvaret,  
 Afforet, immensaqui Gustroviensia sumtu  
 Condidit & templa, & collegia: quiq; paterna  
 Slavorum lingua Verbi Mysteria sparsit,  
 Et qui defectus sceleratæ piacula luxit,  
 Post stetit in medio populo, preciosaq; fidi  
 More Sacerdotis vulgavit dogmata C H R I S T I:  
 Afforet & cui Uvago sacra caput abluit vnda  
 Converso, demens nisi ad ethnica templa redisset.  
 Ah quid homo est, divina parum cùm gratia cedit?  
 Nil aliud, quam Petrus erat, dum voce ministræ  
 Attonitus C H R I S T I socium se pernegat esse,  
 Nominis oblitusq; sui, pactæq; loquæ.

C3

Mortales,

Mortales, pietatem discite & edite semper,  
 Non fructus aberunt: hic dives copia rerum:  
 Postq; secuturæ cælestia gaudia vitæ.  
 Sed nunc desino plura, tuamq; politula quæso  
 Euphrosine promptè nobis edissere mentem.

Sic Dea veste nova, Rutæq; decora corollis,  
 Inq; polo figens oculos, mulcensq; columbam  
 Respondit; quam post comi Soror ultima vultu,  
 Illælos accincta habitus, oleaq; virenti  
 Pressa comas, mitemq; tenens in pollice Cynum,  
 Incipit, & seu Vvittichij vos inditis, inquit,  
 Seu Theodorici nascenti nomina gnato;  
 Pace mea fecisse licet, minus ipsa repugno:  
 Sin aliud puerο malletis ponere nomen,  
 Ecquid amabilius sedata voce FRIDRICI?  
 Hanc ego tot Ducibus non infeliciter ante  
 Attribui: Placidi cognomine præditus heros  
 Testis erit, sumptâ quoniam mox abstitit hastâ  
 Numinis admonitu, divinoq; excitus æstu,  
 Cui dum se niti hostis ait; quis degener, inquit,  
 Bella Duci faceret, Dominus cui parmaq; & arma?  
 Fridrici testes alij: quin propria stirpis  
 Saxonicae, quod pacis amor sit & insita virtus,  
 Cùm reliqui monstrant Proceres, tùm nobile prodit  
 Ensiferi Ernesti facinus, qui providus vnâ  
 Consilio patriæ nocituros depulit hostes,  
 Matthiam Hunnorum Regem, regemq; Polonum;  
 Huic bellum simul indicens, qui temneret audax  
 Indelibatæ justissima fædera pacis.

Quin

Quin & materna cuniunctas stirpe tenetis  
 Pace bona servasse vrbes : hinc principis omnis  
 Pacifici Henricum nunc incola voce salutat.  
 At verô surgens, vsu sine militis, infans  
 Longe uam peraget vitam, fratremq; secutus  
 Vix semel atq; iterum galeas aptabit & enses,  
 Ut quantum valeat bellis, si proderit vti  
 Marte truci, monstret, terroremq; ingerat hosti:  
 Post semel Imperij toto mandante senatu  
 Æratas coget turmas, pacisnè ministras  
 Dixeris, an belli, dubium est; sic semina tristis  
 Exitij educto reprimet mox milite victor.  
 Applaudent cives, Procerum gratabitur aula,  
 Donec in hac vitæ perfunctum munere terra,  
 Sacra luce mihi, primò sub vespere, Cœli  
 In patriam revocabo, quies vbi certa laborum,  
 Et circum volitat pax, & socia agmina pacis:  
 Laus superum, artis honos, amor, & pia jubila, gazæ.

Quæ Divæ dum sunt visæ se pluribus inter  
 Differere; Henrici cor gaudia mille replebant.  
 Interea in medijs Astræa supervenit, illa  
 Astrorum, fatiq; memor, secliq; futuri  
 Fatidicis labns: Quid adhuc quid quæritis? inquit,  
 Est jam tūm nomen Proli fatale statutum:  
 Hic AVGVSTVS erit, quoniam dum nominis hujus  
 Quem se debuerit Cæsar præstare docebit,  
 Magnus erit princeps, multoq; illustris honore.  
 Hic AVGVSTVS erit, generosa propago sapienti,  
 Vtpote quo titulo summatim cuncta notantur,

Quæ

Quæ memini fusè vos disceptare forores:  
 Nam veræ sacer augurio pietatis, & alta  
 Post obitum Fratris patriæ ad moderamina scandens  
 Commissæ plebis quæret sine fine salutem,  
 Et structa ad cladesq; suas, cædesq; suorum  
 Bella premet prudente animo, subitoq; reponet  
 Nunquam non cultæ pacis venerabile mu  
 En sic augescent AVGVSTO principe templo:  
 En sic augescent AVGVSTO principe ludi:  
 En sic AVGVSTO Respublica Principe crescet:  
 Priv a nec AVGVSTO decrescent principe tec*ta*.  
 Non etenim non sors aberit præstantibus ausis.

Et quo vestra minor teneat dubitatio corda;  
 Ecce dies sacra AVGVSTI natalibus olim  
 Cæsar is, & horæ mittent momenta sub auras  
 Illustri prognatum ex hoc in fante Nepotem,  
 Nomine quem Christus signabit, avita sed intra  
 Pectora regnabit virtus, facies nec avita,  
 Nec mores deerunt, nec avitæ commoda fortis.  
 Hoc placuit superis: natalem Cæsar is ortum  
 In cunas Henriciadæ differre Nepotis;  
 Ne Cæsarterris videatur redditus esse,  
 Præsertim AVGVSTVM firmocùm glutine nectat  
 Insita vis astris, ad idemq; inclinet vtrumq;.  
 Et simul his dictis secreta Volumina cæli  
 Explicat, & tali pergit sermone profari:  
 Sol qui sidereum peragras, tua regna, Leonem,  
 Et quæ per proprias sedes Luna aurea Taurum  
 In fortunato cælorum vertice transas,

Tum

Tum vos, ô quinæ stellæ, tu Iupiter albis  
 Lucens in Geminis, remeansq; per arietis ignes  
 Falcifer inversus, tu celsi in sydere cancri  
 Conspicienda Venus, tu Maia Atlantide nate,  
 Qui prius ingrederis Nemæum Marte Leonem;  
 Vos, inquam, septem terram super astra levata  
 Testes nunc estote mihi: jamq; altius omnes  
 Arcani causas fati referare parabat,  
 Utq; suas astrum Saturni temperet iras,  
 Quidve dolos Martis frangat, quid cætera signent;  
 Cum sensim surgens magis increbescere murmur  
 Pergit, & excutiens cum dulci somnia sommo,  
 Henrici placitis explet rumoribus aures:  
 Vxorem erectam partu, juxtaq; rubere  
 Mollibus in cunis specioso lumine natum:  
 Qualis vbi roseus primo splendescat in ortu  
 Lucifer, obscuræ post humida frigora noctis;  
 Aut flos Paxoniae pecto caput exerat horto.  
 Ne: mora dux Christo prius imo pectore grates  
 Exoluit, post è stratis se corripit, atq;  
 Ad cunas properanter abit, gratatur, ovatq;,  
 Et nuc infantem valuis complectitur vlnis.  
 Fausta precans: O auspiciis mihi natæ serenis  
 Mi fili, te religio regioq; patronum  
 Expectant, his cresce puer: nunc patria sigit  
 Oscla labris, curam sobolis nunc mandat haberi.  
 Iamq; sacrata dies aderat, qua rore salubri  
 Infant abluitur veteris contagio culpæ,  
 Vndiq; finitimus procerum confluxerat ordo,

D

Agmen

Agmen agens equitum, spumantesq; ore caballos;  
 Cūm Pater Henricus fidas est fatus ad aures  
 Sanguine junctorum, nomine multa monentūm  
 Diversa, AVGVSTI nato venerabile nomen  
 Deberi, sic fata monere & somnia mentem.  
 Nec mora continuò liquidis puer illitus vndis,  
 Innocuaq; nitens in veste, fit ætheris hæres,  
 AVGVSTIq;, Ducum circumfidente corona,  
 Sumit honoratum nomen: simul omnibus ille  
 Ocyus est visus genio majore moveri.  
 Talis in excello jam tūm decor ore nitebat!

Interea circumposita it fama per vrbes,  
 Et per vicinos populos, per dissita regna,  
 Alter ab AVGVSTO, quod clara voce feratur:  
 Admirari omnes, fatisq; monentibus illud  
 Infixum nomen certis evincere signis,  
 Cum neq; natalis sit ductum ex tempore lucis,  
 Nectanto è numero maiorum nomine tali,  
 Nec susceptorum quisquam se gesserit vñquam,  
 Vnde trahi soleat de consuetudine nomen.  
 Tunc quoq; Saxonici resonabant talia cives:  
 Euge bono nate augurio, puer inclyte, salve:  
 Nunc AVGVSTE V M Duce te procedere rursus  
 Incipiat seclum, Duce te schola templaq; crescant,  
 Paxq; suis tectis atq; vrbibus incubet alis:  
 AVGVSTE AVGVSTI mensuram nominis imple,

Est major fidis vis addita votis;  
 Alterum ab AVGVSTO fatali numine ferri  
 Vidimus, & memores agnovimus aurea secla.

O nunc

O nunc Elysijs benefacta rependite campis  
 Dij superi, patriæ quæ præsttit inclytus heros!  
 Olim tempus erit, tenui quo carmine vestræ  
 Exequar, ô magni AVGVSTI, documenta juventæ,  
 Prudentesq; animos celebrem, pacisq; tuendæ  
 Cultum, justiciam, & patiens in pectore robur,  
 Dextraq; quām vestrīs fors aspiraverit ausis,  
 Quantaq; vel Pietas, graviumve scientia rerum  
 Fixa animis fuerit, quæ magnificentia sumtus,  
 Quæ modici victus ratio, quām splendida vestræ  
 Maiestas famæ, atq; obitus, obitumq; secuta  
 Gloria, quæ vivis parca est, non parca sepultis;  
 Si modò pondus habent, vt habent, ardentia vota,  
 Exequar hæc, Heliconaq; Parnassumq; movebo.


F I N I S.



D R E S D Æ

In Officina typographica Hieronymi Schützij  
 ANNO CHRISTI

M. D C I.



Datum der Entleihung bitte hier

---

---

---

---

---

---

---

---

---

---

---

---

---

---

---

---

---

Dieser Band wurde 1995  
durch Bestrahlung sterili-  
siert. Verfärbungen stellen  
keine Gefahr dar.

H. Sax. C. 469

